scens dissidium exiturę. Et profecto nobis
concordia opus est. Nunc vocant me in
patriam Principes palatini Dux Fridericus et
et Dux Othenricus, Sed quid Dux Saxoniae
responsurus sit, nescio. Neque tamen opinor,
me profecturum esse. Et non libenter inter-
rumpo assiduitatem operarum huius nostrae
Academiae. Bene vale Reverendissime Domine
die . 25 . Martij.

Philippus Melanthon.

Reverendissimo Domino Nicolao ab Amsdorff
Episcopo Ecclesiae Naoburgensis eruditione
et pietate praestanti patrono suo.

S. D. Etsi iam acceperam literas tuas, quibus signifi-
cas te Dei beneficio recte valere, tamen
permisi ut Christophorus etiam ad te expatia-
retur, quia praeceptor eorum Magister Martinus
Frisius ex hac vita in aeternam migratus est.
Nunc de praeceptore alio deliberandum erit.

Hodie sum locutus cum viro docto et gravi
Sigismundo Hungaro, qui in latina lingua ad-
modum diligens est, ut commigret in aedes ve-
stras, et Scholasticos tuos erudiat. Is ostendit
se ante nundinas Lypsicas non posse hac de re
statuere. Interim te quoque deliberare velim,
quid de tuis adolescentibus fieri velis. Bene
vale Reverendiss. Domine, in seriis Pastoratus

Philippus Melanthon.

Reverendissimo Domino Nicolao ab Amsdorf
Episcopo Naumburgensi, eruditione et vir-
tute praestanti domino suo colendo.

S. D. Reverendiss. Domine. Scio veram et sinceram
benevolentiam mutuam inter D. Lutherum
et te fuisse, ortam utrinque ex virtutis amore,
et pietate. Gratias autem et meo et libero-
rum nomine tibi ago, quod mihi pecuniam

misisti, et non vendo soluere. Contuli et ipse cum quodam amico Lemnium. Et iam summam pretij habemus. Sed vidua plus pecuniae expetens nunc profectura est ad Mansfelt, cum tamen Comites promiserint se duo millia post biennium soluturos esse. Ipsa nunc partem petitura est. Mihi haec consilia non placent. Nec tamen meum est aduersari. Deus regat nos etc.

Quid propositum sit a Caroli Imp. Commissarijs in Salinis Saxonicis, scire te arbitror. Imperator se excusat, et adfirmat se non voluisse hactenus mouere bellum in Germania. Georgius a nobis examinatus de discrimine Iuris naturae et positiui recte respondit. Bene et feliciter vale. die 7. Junij 1546.

Philippus Melanthon.

Reverendissimo Domino Nicolao ab Amsdorff Episcopo Naumburgensi, doctrina et pietate praestanti, patrono suo colendo.

S. D. Reverendiss. Domine, Legati sunt aurei du-mi duobus Scholasticis Andreae Ellinger Orlamundensi, et Johanni Marshler filio pastoris in Eidersdorf. Et pecunia est penes Senatum Calensem, qui, nescio cur, nolit his adolescentibus eam numerare. Implorant igitur adolescentes auxilium ab aula, quia vel exceptis pios Scholasticos tamquam orphanos iuuari debere. Et uterque valde valet ingenio. Quare propter Deum te oro, ut consiliarijs causam commendes, ut cogant Senatum Calensem, omissis tergiuersationibus, soluere. Noui ingenium Senatus eius oppidi. Ideo magis laborandum est pro adolescentibus. Bene et feliciter valete. die. 22. Octobris. Witebergae Anno 1545.

Philippus Melanthon.